

- ponendo sub rognonum vel alibi sippum vel aliam pinguedinem, nec inflare vel facere inflari aliquas bestias, et hoc sub pena viginti sold. par. pro quolibet contrafatiente et vice qualibet contrafacta. ¶ Item non dimittere iecur splenem aut dretum aliquo modo vel ingenio, sub pena viginti sold. par. pro quolibet contrafatiente et vice qualibet contrafacta. ¶ Item non portare vel portari facere ad macellum comunis aliquas carnes mortisinas, sub pena vigintiquinque libr. par. ¶ Item nequis bechariorum sit ausus vendere vel dare alicui persone unam carnem pro alia, scilicet carnes pecudum sive ovium pro carnibus castratinis, carnes capre vel bechi castrati et similia, et aliquas carnes non vendere ultra precium supradictum, vel ultra precium, prout fuerint extimate per iustitiarios comunis vel posite per maius conscilium, sub pena decem libr. par. pro quolibet contrafatiente et vice // qualibet contrafacta. ¶ Item dare iustum pondus carnum cuicunque ementi, sub pena quadraginta frx. pro quolibet et vice qualibet contrafacta, et de predictis adhibea(n)tur fides iustitiariis comunis. ¶ Item quod nequis bechariorum vel aliqua alia persona sit ausa vel presumat proicere aliquas inmondicias in becharia comunis preter extra fanestram ad hoc deputatam, sub pena quadraginta frx. pro quolibet contrafatiente et qualibet vice contrafacta, et quilibet teneatur sacramento acusare contrafatientes, et adhibeatur ei fides cum sacramento, et habeat medietatem condempnationum.
- ¶ Et ipsi becharii sive aliqua alia persona debeat vendere (possint) carnes recentes in macello comunis et non extra, nec tenere aliquod bancum extra dictam bechariam, sub pena vigintiquinque libr. par., et ipsi beccarii vendentes carnes in beccaria teneantur omni die veneris facere purgari bechariam comunis de omni inmunditia et turpitudine ¹⁾ exsistentibus in ea, sub pena centum sold. par. pro quolibet contrafatiente et qualibet die contrafacta, et precones inquirere debeant de predictis et accusare contrafatientes, et adhibeatur eisdem fides cum sacramento, et habeant tertium condempnationis facte occasione suarum acusationum. ¶ Item quilibet // becharius et

¹⁾ Aggiunta marginale.